

1717 7/23

A V S P I C I I S
R E C T O R I S M A G N I F I C E N T I S S I M I
S E R E N I S S I M I P R I N C I P I S R E G I I
D O M I N I
F R I D E R I C I A V G V S T I
E L E C T . S A X . H E R E D I S
O B S E R V A T I O N E S
P H Y S I C A S
S E L E C T I O R E S

P R A E S I D E
M A R T . G O T T H E L F F L O E S C H E R O
P H I L . E T M E D . D . P H Y S . P . P . O R D I N . M E D I C . E X T R A O R D .
N E C N O N
S E R E N I S S . D V C I S S A X O V I N A R . P H Y S . P R O V I N C .
D I E X X I I . M A J . A . O . R . M D C C X V I I .
I N A V D I T O R I O M A I O R I
P R O P O N E T
M . I O H A N N E S C H R I S T I A N V S W O L F F
L I P S I E N S I S .

V I T E M B E R G A E
L I T E R I S G E R D E S I A N I S .

URBIS MAGDEBVRGENTIA
SEPTENTRIONI FRANCIAE PROXIMA
DOMINI
FRIDERICI AUGUSTI
CLESERATIENSIS
HYGIAS
SERGIO
PASTORALIS
CORONATIONIS
JANUARII
JOHANNES CHRISTIANUS GÖTTSCHE

Litteris Quidam

I. N. I.
OBSERVATIONES PHYSICAE
SELECTIORES

INTRODVCTIO.

Amenitatem scientiae istius, quae circa naturam est occupata, nisi alia multa comprobarent, eandem certe sola rerum in oeconomia naturali considerandarum varietas, ordo, novitas, praestantia & jucundissima connexio, incredibili oblectamento ob oculos ponit. Phyfici enim verum ac genuinum officium est, naturam contemplari ejusdemque actiones observare, quibus in contemplationibus & observationibus, si recte iisdem operam dabit, tam multa inveniet notatu digna, admiranda, utilia & jucunda, ut non opus habeat, ad Hypothesium figura ingeniosa confugere, arque sibi Philosophiam non naturalem, sed porius cerebrinam aedificare. Hoc ita se habere, luce meridiana clarius patebit, si scripta physica haec tenus edita, & applausum eruditis orbis sibi conciliantia, paulo accuratius perlustraverimus. Observabis nobiscum L. B eadem maxime rariores in corporibus, beneficio instrumentorum, vel Chymiae, vel cultri Anatomi-

4 OBSERVATIONES PHYSICAE

tormici observationes, quo pacto natura se habeat, ratione oeconomiae, legum & actionum naturalium, eleganti & utilissimo ordine proponere. Qyod si clarius aliquis scire cupit, respiciat, ut alia taceam, Frid. Ruyschii Thesfauros & Anatomicos & Animalium, Heauksbee Experimenta Physico-Mechanica, Leupoldi Tractatus de Antlia Pneumatica. Transactiones Anglicanas, Historiam Academiae Regiae Parisiensis, Ephemeridesque & Gallorum & Germanorum, in quibus hodierni eorum collectores, antecessorum suorum dexteritatem, diligentiam, & in observandi studio praestantiam imitari conantur. Hac ratione Physica hodierna insignem & in Republica, & Orbe literario, uti alibi demonstravimus, obtinet utilitatem, atqve quid hodie in praestantissima hac scientia agatur, inveniaturqve, mirifice delineatur. Eudem in finem, & nos nuper non tantum Physicam Experimentalem, novissimis rationibus & experimentis illustratam divulgavimus, verum etiam in ejus Appendice Observationes qvasdam Physicas selectiores proposuimus. Qyas, cum easdem intelligentibus & eruditis non ingratas fuisse intellexerimus, in praesenti continuare animus est. Faxit Deus feliciter.

OBSERVATIO I.
NOVVS PHOSPHORVS AETHEREVS.

Hoc novum prorsus Phosphori genus, peculiari de eodem Disputatione, nuper cum publico commu-

SELECTIORES.

5

municavimus, atque in eadem ejus novitatem & praeftantiam satis superque comprobavimus. In praefenti qvaedam ibidem vel leviter tacta, vel de industria omiffa, de eodem in medium proferre animus est. Phosphorus scilicet ille aethereus, repraesentatur in cylindro vitreo crystallino & purissimo, longitudine circiter spithamea, inferius manubrio instructo, & superius hermetice clauso. Qvi si digito fcciori, vel etiam linteo fccio leniter imo lenissime fricatur, elegantissimum praebet phosphorum fulminantem, adhuc notabiliorum, atque haec tenus in Barometris Phosphorascensibus ex conuicione hydrargiri admirati sumus: & si tritura haec lenissima continuatur absque omni incalcentia, columnam igneam refert. Qvod si vero aliqua humiditas accedit, lumen appetet debilius, & si digito in hanc vel illam partem vagamur, ibidem etiam phosphorus est conspicuus, lamellasque qvafsi ac plumulas lucidas, igneasque refert, qvae motum digitice lerrime seqvuntur. Qvo experimento demonstramus omne lumen in motu aetheris, qvi materiam & lucis & ignis praebet confitare, nullamque dari aliam luminis materiam, qvae tamen a variis corporibus, nempe vitro, mercurio vivo, adamante &c. egregie qvafsi in domicilio grato retinetur, & si in iisdem velocius paulo movetur se eo magis manifestat. Summe vero notabile est in nostro Phosphoro illum lenissima affrichtione, vel digiti, vel aliis corporis fccioris, absque omni incalcentia lumen exhibere, manifesto indicio, hoc lumen esse internum, & in cavitate hujus cylindri, neutiquam vero in superficie, ab accedente motu excitari, uti hoc aliis experimentis demon-

A 3

frare

6 OBSERVATIONES PHYSICAE

strare possumus. Nam vel primis tantum philosophiae naturalis rudimentis initiatis notum est, motum duorum corporum solidorum se invicem vehementius commoventium & exagitantium lumen producere, exemplo pyrites & chalybis, sachari & limae, duorum tubulorum vitreorum, qvi qvo asperiores in superficie sunt, & qvo fortius sibi invicem atteruntur, ita ut notabilem fatis calorem concipient, eo manifestius etiam lumen producunt, lenius vero tractata illa corpora ne qvidem micant. Ex qvibus nostri Phosphori praestantia, p[er] alii experimentis lumen excitantibus, unicuique facile apparere posse existimo. Quibus accedit illud qvod per iterata experimenta in nostro phosphoro observavimus, illum si aliquandiu vestimentis vel aliis linteis affricatur, ita tamen ut plane nullum calorem contrahat, elegantissima fulgura, etiam post aliquod temporis, imo quadrantis & dimidium horae intervallum adhuc sibi relictum absqve omni frictione de se spargere, qvod haecenus neque in Phosphorascente Barometro, neque in Experimento Heauksbeano observatum fuit, de qvibus l.c. plura diximus.

OBSERVATIO II.

EFFECTVS PARADOXI IN VACVO
ANTILIAE PNEVMATIGAE VVLGO ITA DICTO.

H[ic] eqvidem nobis latissimus pateret campus exurrenti, in vacuas illas & inanes quaestiones, num & quale in natura detur vacuum? & nisi naturale affirmandum sit vacuum, an articiale, beneficio

SELECTIORES.

7

cio Antliae Pneumaticae, effici possit? supervacaneum vero esse duco, multa de vacuo disputare, qvoniam nostra de eodem sententia, aliunde satis abundeque constat, atque Philosophiae naturalis cultor, veram ac genuinam Naturae Theoriam & connexionem intelligens, quid de vacuo statuere debeat, facile intelligere potest. Dum vero vacuum Antliae Pneumaticae adduco, haud qvaquam existimo, vas recipiens, vel campanam vitream Antliae Pneumaticae applicatam, ab omni corpore esse vacuum, sed solo aere eandem carere. Id qvod uberioris Dissertatione de Antlia Pneumatica expositum est, & in novis Antliis minoribus, qibus Barometrum accommodatum est, ob oculos ponitur. Fiunt vero in hoc vacuo vulgo ita dicto, varia experimenta, qvibus quid aer potest, & non potest, hactenus elegantissime fuit demonstratum. Ea in praesenti brevitatis studiosus recensere nolo, sed potius qvaedam afferam alia experimenta rariora, qvibus decantata hactenus aeris pressio & gravitas, multos eosdemqve stupendos in natura, attractione, lapsu aquarum & motu corporum fluidorum & liquidorum intestino producens effectus summopere labefactatur.

Primo attractionis multae dantur species, qvas veteres fuga vacui, recentiores vero pressione & pondere aeris explicant. Satis notabilis est ea, qvando in puteo, Germanice Plumpe / Saugwerck / Embolus in tubo aquam quasi attrahere videtur, non qvod aquam attingat, sed qvia Embolus in tubo elevatus, aeris admissionem impediens, vacuum efficit, in qvod aqua adjacens a pressione aeris impellitur. Hac ratione enim hoc Phenomenon

3 OBSERVATIONES PHYSICAE

menon contingere, haec tenus docuerunt recentiores, adeoque ex hac hypothesi necesse esset, puteum seu machinas embolo fugentes, in vacuo sive aere remoto & denegato, aquam attrahere non debere. Contrarium vero demonstrat Antlia Pneumatica, in primis minor Heakusbeeana, in cuius vacuum, si puteus ad hoc negotium accommodatus immittitur, ille pari ratione ac in aere libero, aquam promptissime reddit. Cujus quidem phaenomeni causam dicunt esse, vel aeris portionem in vacuo relictam atque purum vacuum etiam ratione aeris dari negant: vel ipsum aetherem, se ob absentiam aeris in vacuo expandentem hic adducunt. Quid si adderem, aerem in aqua adhuc habitantem, & vesiculis se manifestantem, vi sua elastica & expansiva hic agere, & quidem, eo melius, quia resistentia & pressio aeris exterioris est remota.

II. Pondus & aequilibrium aquae a gravitate & pressione aeris dependere, recentiorum Physicorum fert opinio. Quippe corpora fluida sibi contigua, nempe aer, aqua & hydrargirum, certum quoddam pondus & aequilibrium, quod non facile transcendent observant. Demonstratur vero hoc aequilibrium, in tubis vitreis recurvis, qui Syphones appellantur. Et omnium optimae illud conspicitur, si ejusmodi syphonem poculo vietro rite applicamus, ita ut sypho firmiter cum eodem cohaereat, crureque longiore, ex fundo ejus prodeat, tunc si poculo aquam infundimus, ita, ut non supra syphonem emineat, nihil aquae ex eodem effluit, si vero aqua syphonem transcendent, latitudine pollicis circiter, tunc omnis aqua, ne guttula quidem relicta, e poculo per sypho-

SELECTIORES.

9

phonem proumanat. Causam si quaerimus, hujus aquarum lapidis, respondetur illum ita contingere, ob aequilibrium & pondus aquae proprium adjuvante aliquatenus aeris pressione. Quae tamen hic supervacanea est, & effectus hic, absque omni aeris pressione, etiam in vacuo Antliae Pneumaticae producitur. Nam si hoc poculum vitreum, vitro siphone instructum, & aqua repletum vacuo credimus, obdurato siphonis inferiori orificio, ut nihil effluat, remotoque aere orificium hoc iterum aperimus, simili ratione ac in aere libero, omnis aqua per siphonem effluit. Id quod eo magis illos confirmat, qui existimant, lapsum hunc aquae, ex proprio ejusdem pondere proficiisci, exclusa & confutata aeris pressione, quam nihil in hoc negotio efficere, praefens experimentum satis superque demonstrat. Quale vero pondus poterit inesse, in ultimis aquae guttulis, quae tamen nihilo secius, in siphonem protruduntur, in eodem ascendunt, & ex eo profluunt, nec tamen ab antecedentibus utpote ipsis non continuis, sed tantum contiguis protrahuntur. Adeoque forsitan uti in priori experimento, aether expansivo suo pondere hic agit, quod etiam aeris in aqua contenti vis elatrica, sepe copiosissimis manifestans vesiculis adjuvare potest.

III. Motiones corporum liqvidorum intestinae, quas effervescentias & fermentationes vocamus, nullo ferme contradicente, a pressione aeris exterioris liqvoribus incumbenter communiter derivantur, quia remoto a liqvoribus fermentabilibus aere, uti satis notum est, illi non facile in fermentationem abripiuntur. Quod si verum esset, sequeretur, in vacuo nullam posse fieri effervescen-

B

ve cen-

10 OBSERVATIONES PHYSICAE

vescentiam, qvod tamen falsum est. Nam si per nostram Machinam, qva liqvores contrarios sibi invicem permiscere possumus, hanc mistionem instituimus, aere beneficio Antliae remoto, effervescentia aeque ac in aere libero fit, insigni documento, aerem hic nihil agere, sed dari peculiarem qvandam materiam, lucis, caloris, ignis & aliorum forsitan effectuum, tenuissimam, & ab aere distinctam, qvam alibi copiosius demonstravimus. Ex qvibus omnibus haec tenus allatis conficitur, aeris pressionem, neque in pureo attractionem aquae, neque in syphonibus ejusdem aequilibrium, neque effervescentiam liqvorum producere. Qvod si qvispiam occurrat, non satis certum adhuc esse, dari omnimodam aeris Antliae Pneumaticae evacuationem, adeoque relata ejus, licet satis exigua portionem, dictos effectus producere posse: respondeo, Antlias in primis novas & minores, hoc ita confirmare, ut nullus remaneat hac de re dubitandi locus. In illis enim aeris praesentia, motu mercurii in barometro Antliae accommodaro, & sibilo valvularum in cylindrissese prodit, qvi tamdiu continuantur, qvamdiu aliquid aeris in vase evacuando superest. Et si forte aliqvid aeris iterum irrepserit, data aliqua occasione, tunc illico & motus mercurii, & sibilis valvularum redit, aerisqve praesentiam indicat, atque hac ratione, omnem aerem evacuari etiam sensibus percipi potest.

OBSE-

OBSERVATIO III.

PONDVS MIRABILE PLVMVLAE
LEVISSIMAE IN VACVO.

AD effectus paradoxos in Vacuo, etiam praesens spectat observatio. Si enim beneficio cujusdam machinae, & monetam auream, & plumulam levissimam, retinaculo ita comprehendimus, ut eodem distracto, utrumque corpus absqve omni impulsu decidere necesse habeat, tunc aere adhuc integro, moneta aurea longe citius fundum petit, qvam plumula levissima, qvae ab aere in motu suore retardatur, qvem solidum monetae aureae corpus facile penetrat. Si vero ex Antlia aer exactissime est exantlatus, tunc inversa facie plumulam levissimam citius qvam monetam auream, imo fulguris instar ad inferiora tendere qvafsi attoniti conspicimus. Ex qvo elegantissimo Experimento, satis luculenter mihi apparere videtur, gravitatis causam non tantum in corpore, qvod pondus obtinet, esse qvaerendam, sed etiam ad medium in qvo ponderosa corpora qvafsi fluctuant, & gravitatis suae vim, pressione & deorsum nitendo exhibent, esse attendendum. Quidque pondus in corporibus naturalibus, ex nullo alio phaenomeno concluditur, qvam ex potentia illa, qva aliud corpus sibi proximum, vel etiam alia ratione cum ipso in aequilibrio constitutum, premendo & deorsum nitendo, notabiliter ac insigniter exuperat. Ubi qvidem non diffitetur, etiam huc spectare ipsorum corporum constructionem, ratione soliditatis, densitatis, molis & porositatis.

B 2

Quo-

Qvotidie enim experimur, corpora unius diametri, magnitudinis & extensionis, non esse unius gravitatis. Namqve solida ponderosiora sunt liqvidis, & liqvida crassiora iterum subtiliora & tenuiora, e.g. olea aetherea, gravitate vincunt, pari ratione ac Spiritus acidi ardentibus deprehenduntur esse graviores. In solidis etiam corporibus, aurum majus pondus habet plumbo, plumbum vero idem majus pondus ac reliqua metalla obtinet. Qvodsi vero vel aurum, vel plumbum, in tenuissimas lamellas trituratione & prelo redigatur, ita levia redduntur, ut etiam in auras avolent. Qvae quidem rationes, ponderis causam licet ipsis corporibus inesse non obscure demonstrent, tamen illae demonstrationes & experimentorum instituendorum rationes longe elegantiores sunt, qvae quid media, in qvibus corpora graviora versantur, & maxime aer hic possint, ob oculos ponunt. Aerem igitur speciatim gravitatis causam esse, praeter allatum in principio hujus observationis experimentum, videmus in fumo, qvi in aere libero, uti notum est, ascendit, in vacuo autem & aere remoto descendit. Id qvod dupli ratione ostendere valemus, nempe & lumine accenso, atqve in evacuatione extincto, & pulvere pyrio in campana evacuata, per Speculum Causticum liqefacto, & in fumum resoluto. Aer vero procul dubio sua dum corporibus incumbit pressione, fluiditate, mobilitateqve gravitatis & ponderis varietatem efficit, uti eleganter ac uberioris demonstrat *Varignon Nouvelles conjectures sur la pesanteur.* Hoc eo clarius elucescat, si probe nobiscum consideraverimus illa experimenta qvibus adstruitur, quo pacto etiam alia corpora liqui-

SELECTIORES.

13

liqvida & fluida, si corpora solida pondere insigniori pollutia, in iisdem tanquam motus mediis reposita sunt, pondus eorum vel augent, vel imminuunt. Huc enim pertinent observationes Io. Freindii in Tab. II. qva gravitas solidorum aestimatur specifica in aere & aqua, & Tab. III. in qva liquidorum gravitas specifica aestimatur, Praelectionibus suis Chymicis Oxoniae habitis annexae. Observat igitur acutissime, qvo ponderosiores sint liqvores, in qyibus corpora libra expenduntur, eo majorem esse ponderis imminutionem, & qvo leviora sunt fluida librantia, eo leviorem qvoque deprehendi ponderis imminutionem. Exempli loco adducit Massae plumbeae pondus, qvod in aere, pro mole & quantitate sua determinata habet gr. 455. in oleo vitrioli vero tantum gr. 379. adeoque ponderis imminutio est gr. 76. Eadem Massa in spiritu Tartari iterum pondere ascendit ad gr. 411. itaque ponderis imminutio tantum est gr. 44. Haec Massa porro in spiritu vini camphorato 419 gr. ponderat, qvapropter ponderis imminutio saltem est gr. 36. In spiritu vini rectificatissimo, recipit pondus gr. 423 & in aqua ebulliente gr. 424. qvapropter ponderis imminutio in tenuissimis & summe rarefactis his liqvori bus adhuc minor observatur.

OBSERVATIO IV.

*HALLUCINATIO CIRCA LVCEM
PHOSPHORI IN ANTILIAE VACVO.*

Phyisci curiosiores multa hactenus beneficio variarum Antiliarum fecerunt experimenta, in qvorum

B 3

admi-

administratione, etiam animadvertebant Phosphorum solidum, aliquando in vacuo aliquid de luce sua remisisse. Unde siebat, ut sparsim vel in scriptis, vel etiam paelecti-
nibus suis, hujus observationis rariores fecerint mentionem
ut occasionem darent alii, in certitudinem & rationem hu-
jus Phænomeni cum circumspectione inqvirendi. Hoc vero
quidam nimis avide arripientes, sibi persuadebant, hanc rem
absque omni exceptione, & semper ita se habere, praeser-
tim cum Antliis suis vel etiam alienis (de qvarum prae-
stantia ex hoc experimento alii judicent) se hac in opinio-
ne confirmari viderent. Hallucinari vero hujus fari-
nae Physicos, nobis satis clarum est, qvoniam quotidie
demonstrare possumus, tantum abesse Phosphorum soli-
dum nullam lucem de se spargere in vacuo, ut potius
eandem in hoc experimento longe elegantiores, vel in
substantia, vel chartae affrictus exantlato Antlia aere ex-
hibeat. Adeoque Antlia forsitan aliorum minus exacte
exantlavit, vel Phosphorus minus purus fuit, vel aliqua
humiditas aut ex Antlia, aut in vase recipiente lucem
Phosphori extinxit.

OBSERVATIO V.

FALLAX IN PVLMONIBVS INFAN- TICIDII PERPETRATI SIGNVM.

SAE numero contingit, ut miserae femellae in foro
infanticidii accusentur, atqve judex ratione officii
uti aequi & justi sacerdos, non tantum in hujus rei
veritatem inqvirit, verum etiam sententiam dicere hac
de re, & graviter pronuntiare debet. Qvapropter ut
omnia

SELECTIORES.

15

omnia rectius pateant, Physicis imperatur, ut sua quoque hoc conferant. Qui quidem ad sectionem confundunt, & maxime pulmones infantum extinxorum sub examen vocant, atque ex eorundem statu, vel compacteriori vel laxiori, in aqua vel submersione, vel ascensione ac innatatione, judicium de commissso infanticidio ferunt. Quae res etiam multis Ictis ita imposuit, ut haec tenus vulgo ex pulmonibus infallibile infanticidii patrati testimonium defungi posse afferuerint, non deficiens rationibus ex Philosophia naturali depromptis. Nam quia foetus in Vtero non respirat, procul dubio ejusdem pulmones longe aliter se habent, quam post partum, ubi vim aeris exterioris experiuntur. In primo enim statu Embryonis pulmones adhuc sunt crassi, densi, rubicundi & ponderosi, ob vesiculas minores, ex quibus pulmonum substantia maximam partem conflat, nondum explicatas, ita ut aquae immersi illoco submergantur & fundum petant. In altero vero statu extra uterum, albicantes instarque spongiae molles & rarefacti comprehenduntur pulmones, leviores & aquae semper innatantes. Unde si priora adsunt signa, foetum nondum respirasse adeoque extra uterum non vixisse clarum ac cerrum esse viderur, ideoque infanticidium aderit nullum. Quod si vero posterioriora signa in pulmonibus conspicuntur, indicium esse videtur, foetum post partum spiritum duxisse, consequenter extra uterum vitam egisse, adeoque fuisse enecatum. Multa vero sunt, quae hoc signum dubium reddere possunt statim afferenda. Nam 1.) potest Embryo ex utero exclusus, & secundinis imprimis adhuc inclusus, aliquandi absqve respiratione vivere.

re, 2.) Saepius evenit, ut foetus etiam a secundinis liberatus, etiam post partum per aliquod temporis intervallum quasi demortuus videatur, cum tamen revera vivat, uti ex restituzione ejusdem appareat, ob aquas simul prorumpentes, vel muci viscidi in pulmonibus collectionem, vel funiculi umbilicalis circa collum contorsionem, ipsumque partum difficultem vid. *Ammannus Praxis Vulner. Lethal.* Si itaque hoc tempore, & brevi post partum suffocatur infans, pulmones nihil prorsus immutantur. 3.) Si aliquandiu post mortem, vel etiam infantis sepulturam fit inspectio ejusdem, facile fieri poterit, ut ob fermentationem ac putredinem accedentem pulmones rarefiant, extenuentur & leviores reddantur, ita ut aquae supernarent, respiratione tamen nondum facta. Adeoque non valet argumentum istorum, qui in contrarium partem statuunt, pulmones per fermentationem posse ita concrescere, ut peracta etiam respiratione aquis submergantur. Fecit quippe Facultas Medica Lipsiensis experimenta contrarium potius confirmantia, quando receperunt pulmones vitulinos adhuc recentes ex vitulo recens nato, horumque alios in aere suspenderunt, alios terrae mandarunt, alios aquae crediderunt, quousque foetorem ac putredinem sibi conthherent insignem. Quo facto compertum est, hosce pulmones aequae ac antea aquis innatasse vid. *Ammannus l.c.* 4.) Saepius accidit, ut in partu difficulti, foetus aegrotus, qui jam respiravit, nihilo tamen secius stranguletur; & obstetrices interdum infantibus ad sensum mortuis, animam quasi inflare conantur, & hac ratione pulmones Embryonis revera mortui flatu intempestivo dilata-

SELECTIORES.

17

5.) Circa aquam annotandum, num pulmones in justam & sufficientem ejus quantitatem fuerint immisgi, an foli extiterint, an vero adhuc cum cordis machina fuerint connexi, & an aqua ipsa fuerit pura, an vero sal vel commune & culinare, vel etiam aliud eidem permixtum forte fuerit, quae circumstantiae omnes pulmonum submersionem in aqua non uno modo impediunt, vid.

Bobnius Medicina Forensi.

OBSERVATIO VI.

PHILOSOPHIAE NATVRALIS UTILITAS IN JVRISPRUDENTIA.

Physica qvae scientia est, opifia Dei naturalia exponens, omni eruditionis generi conveniens est judicanda, non ab iis solum, qui, ubi desinunt esse Physici, incipiunt esse Medici, iisque, qui Theologiam & revelatam & naturalem tractant, verum etiam ab iis, qui aequitatem rerum suo judicio expendunt, nisi in gravissimos errores incidere, atque quod apud antiquiores evenit, impingere velint. Quidam hujus rei testimonium habemus in antiquioribus Juris Voluminibus, ipsoque Weichbaldo, ubi illa obtinuit opinio, computationem graduum consanguinitatis, juxta partes corporis humani esse instituendam, procul dubio ob suave Hippocratis somnum, in quo materia liqvoris genitalis, ex

C

parti-

particulis ab omnibus humani corporis partibus deciduis conflatur. Ita porro Jus Canonicum conjugia in quarto gradu prohibet, qvoniam in corpore humano reperiuntur qvatuor humores primarii & cardinales, secundum opinionem elegantissimi qvondam fabularum physicarum Doctoris Galeni. Ipsum Jus Civile, qvod qvasi de coelo delapsa est ad cognitionem omnium regula, ad quam judicia omnium rerum dirigantur, defendit insignem illum errorem, septimestrem partum posse esse perfectum ac legitimum expressa lege dum ita ait: Septimo mense nasci partum perfectum jam receptum est, propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis, & ideo credendum est, eum, qvi ex justis nuptiis, septimo mense natus est, justum esse filium. Hoc vero a veritate maxime abhorrere, docet experientia rerum omnium magistra, qvippe cuius beneficio constat, tempus partus perfecti ac legitimi, esse finem mensis post conceptionem noni, & principium decimi. Taceo ea, qvae apud JCtos nonnullos de atrae bilis egregia fabula reperiuntur, qvae ab iisdem uti Historiae verissimae enarrantur. Nolo haec latius persequevi, uti eqvidem facile possem, atqve uberioris demonstrare illa commoda, qvae ex Naturali Scientia in Jurisprudentiam redundant, in istis capitibus exponendis, qvae ad Medicinam Forensem spectant, atque integris alias in Libris proponuntur, ubi certe etiam Physici in Foro sunt audiendi. Atqve hoc pacto si vel causarum Patronus, vel ipse Judex rerum naturalium gnarus sit, in posterum alienis oculis cerne-re, necesse non habebit. Depraedicanda igitur atqve admiri-

admiranda est cura & industria supremorum in aula Iuris Sacerdotum, qui rem maritimam & navalem, metallorum, sylvarum, frumentariam aliasque naturales curant, & hac ratione commodis & utilitati Principis & Republicae melius consulunt, quam ii, qui sola critica interpretatione legis cuiusdam exoletae, adeo delectantur.

OBSERVATIO VII.

PARADOXVM BAROMETRI PHAEONEM VNM.

Barometrum, quod ab inventore suo etiam *Tubus Torricellianus* vocatur, uti recentioribus *Physicis* satis notum, est instrumentum, quo gravitatem aeris mensurare solemus, compositum ex tubulo vitro argento vivo repleto, superius clauso, & capsula etiam hydrargyro repleta, cum qua tubus luto chymico firmissime unitur & conjungitur. Metimur pondus aeris, seu rectius atmosphaerae nostræ, ejusdemque imminutionem ac augmentationem hariolamur, ex mercurii vivi in eodem vel descensione, vel ascensione, atque exinde facta computatione, varias tempestatum mutaciones praesagimus. Omnis vero observatio in Barometro eo redit, si nimis mercurius vivus in tubo elevatur, sereniorum aerem tuto expectare licet, & si deprimitur

mitur ac descendit, nubila sequuntur. Porro aere sereno, eodemque vel calido & aestuante, vel frigido mercurius in tubulo ascendit, instantे vero tempestate descendit. Ex quibus recte observatis relinqvitur, paradoxum illud, aerem serenum, tenuem, purum ac rarefactum, pondere squalidum, humidum, crassum, multisquam effluviis refertum exuperare, quia hydrargyrum in barometro, ab illius pondere elevatur, atque hoc ingruente ob pondus imminutum, iterum in integrum quasi se restituit, utpote in Barometro, uti alia corpora tubis inclusa, cum aere in aequilibrio repositum. Haec ideoque res haec tenus celeberrimorum Physicorum ingenia admodum exercuit, quippe qui in exponenda hujus Phaenomeni causa, in varias abierunt partes. Notabilis hic enim est controversia hac de re inter Bernardum Ramazzini atque Güntherum Cristophorum Schelbammerum agitata, quorum prior exhalationem quandam heterogeneam ex globo Terra veo ascendentem, pluviam, nebulas, nubes, aliasque tempestates excitantem, aerem superius comprimento, & effluvia homogenea ex atmosphaera, per praecipitationem quasi quandam elicendo, & sic aeris gravitatem imminuendo, hunc effectum producere contendit, posterior vero praefens phaenomenon magis ex principiis hydrostaticis & gravitate fluidorum corporum deducit. Haec vero erudita disquisitio discussa est solide ipso Ramazzini fatente, a celeberrimo Leibnitio, experimento quodam satis noto ex variis scriptis, quibus insertum est, in primis vero jam citatus Ramazzini illud cum applausu summo exosculatus

tus

SELECTIORES.

21

tus est, vid. ejus *Ephemerides Barometricæ & his annexae Epistolæ, in primis ultima.* Notamus hic etiam *Jo. Woodwardum*, qvi motum Mercurii a magna in gremio Terra recondita aquarum abyssu profici sci arbitratur, vid. ejus *Historia Telluris naturalis*. *Jacobi denique Placentini* hac de re sententia, nihil novi profert, sed tantum Leibnitianam magis illustrat, dum demonstrat, non minorem aquae aliarumque particularum copiam, in aere perspicuo & ad sensum siccissimo contineri, quam in squalido & humido vid. ejus *Dissertationes de Barometro*. Si & nostram opinionem allatis apponere licet, existimamus, phaenomenum de quo in praefenti loquimur, profici sci ab impetu & pressione particularum aeris elasticarum, ramosarum, spirarumque instar se habentium. Qippe de corporibus ramosis, elasticis, spirarum more convolutis constat, eadem quo sicciora, ita tamen, ut non prorsus exsiccata deprehendantur, sunt, eo magis reniti, & potentiam suam exerere, nimis vero humectata relaxari, & ab nisu suo elastico remittere. Exempli loco adducimus circulos ligneos, qibus dolia devinciuntur, illi enim, si recentiores sunt, officium minus recte faciunt, aliquatenus vero exsiccati insigniter dolia confirmant. Pari ratione chordæ in instrumentis musicis, humida vel per se vel in aere squalido, nebuloso & pluvioso constitutæ, non adeo accurate vel in extensione vel in tremore sonoro vim suam elasticam exhibent, facileque disrumpuntur; sicciores vero & in aere sereno accuratius & intensius sonant, & in extensione fortius robur elasticum obtinent. Non immerito vero, ut eo

C 3

clarior

22 OBSERVATIONES PHYSICAE

clarior sententiam meam demonstrem, provoco ad Hygrometra, ex funiculo membranaceo, vel cannabino, cui globulus vel aliud mediocre pondus adhaeret parata. Nam illi funiculi porosi & siccii tempestate humida, effluvia aquosa absorbent, unde humectati laxantur, vim elasticam amittunt, longiores fiunt & pondus demittunt, aere vero sereno & sicciori absumtis his effluviis exsiccati, contrahuntur, robur elasticum pristinum recuperant, & pondus, cum quo connectuntur, attollunt. Qyoniam igitur compertum habemus, massam Atmosphaerae nostrae aeream, magis elatere quam mole premere, qvia experimenta & gravitatem & elaterem aeris demonstrantia, ad unum fere scopum collineant, de qua evidem re forsan alibi, nempe observatione sequenti, commodior erit dicendi locus; ideoque pressionem aeris mercurium in barometro attollentis, ejusdem elateri ascribere non dubitamus. Qvippe aeris particulas ratione in primis elateris, nobis evidem concipimus insensiles fere ac tenuissimas, nihilominus tamen simul ramosas, variis modis complicatas, aut curvas, aut convolutas, & cum quadam rigiditate flexiles. Unde fit, ut aer se ob tenuitatem lubenter omnibus accommodet poris, non tamen possit congelascere, & qvod in aqua observatur, intensissimo etiam saeviente frigore, in corpus durum & solidum redigi. Atque adeo, ut ad propositum veniamus, aer serenus visu elateris uti antea demonstravimus, fortius se expandit, & consequenter mercurium in barometro propellit, ita ut ascendere neesse habeat, iterum vero humectatus aer, ex antea confirmata hypothesi,

SELECTIORES.

23

thesi, relaxatus, ab expansione sua remittit, unde etiam hydrargyrum in tubo barometri locum pristinum obtinet ac descendit. Ex eodem etiam fundamento facile poterimus explicare illud, qvod saepius in nostro Barometro alias accuratissimo, & fortassis qvoqve alii nobiscum observavimus, mercurium aere sereno in diuturnum temporis intervallum protracto, notabile satis spatium in Barometro descendere, qvoniam tunc spirae aeris elastica nimis exficcatur, atqve propterea robur suum expansionis & pressionis, a justa humidi & fisci in iis missione dependens perdunt. Ultimo etiam mentio facienda est opinionis *Parsballii*, qui existimat, mercurium vivum aere sereno in barometro ascendere, quia aether tunc magis superficiem terrae premere, atqve hoc pacto qvoqve Barometrum afficere possit, quam si a nubibus & effluviis aquosis intemperie aeris adversa intercipitur. vid. ejus *Tentamen de Mechanismo Macrocosmi* Anglico Idiomate conscriptum. De reliquo quae-nam inter omnes hactenus allatas opiniones applausum mereatur B. L. judicandum relinquimus.

OBSERVATIO IIX.

PRESSIO AERIS IN NATVRA S V P E R V A C A N E A.

IN antecedenti observatione promisimus de pondere ac gravitate aeris verba facere, atqve demonstrare,
qvod

V.31

24 OBSERVATIONES PHYSICAE SELECTIORES.

qvod ea cum elastica aeris expansione in omnibus conveniat. Cujus qvidem assertionis, non diffitemur occasionem nobis suppeditasse locum qvendam *Francis Bayle ex Institut.* ejusdem *Physicis* depromptum, in quo ita loquitur, postquam structuram particularum elastiarum, earundemque vim ac operationem exposuit: *Sic reliquae, quae omni aeri communes sunt proprietates, ex memoratis particularum dispositionibus poterunt facile deduci, si aliqua mentis attenio adhibeatur.* Nam supra in antecedentibus nec ipsam gravitatem mensurante machinam mercurium ob gravitatem aeris attollere, sed potius ob ejus vim elasticam, satis abundeque demonstravimus. Qvod ad reliqua pondus aeris demonstrantia attinet experimenta, non adeo pondus, sed potius renitentiam & expansionem aeris, dato spatio & remotis corporibus obstantibus & contra nitentibus se manifestantem arguunt. Quapropter decantatae aeris columnae, quae nunquam nisi in cerebro qvorundam *Physicorum* extiterunt, nisi corruiere, tamen ruinam minari mihi vindentur.




K078

ULB Halle
001 507 192

3



TA-DOC





1717 7/23

AVSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII
DOMINI
FRIDERICI AVGVSTI
ELECT. SAX. HEREDIS
**OBSERVATIONES
PHYSICAS
SELECTIORES**
PRAESIDE
MART. GOTTHELFF LOESCHERO
PHIL. ET MED. D. PHYS. P. P. ORDIN. MEDIC. EXTRAORD.
NEC NON
SERENISS. DVCIS SAXO VINAR. PHYS. PROVINC.
DIE XXII. MAJ. A. O. R. M DCC XVII.
IN AUDITORIO MAIORI
PROPONET
M. IOHANNES CHRISTIANVS WOLFF
LIPSIENSIS.

VITEMBERGAE
LITERIS GERDESIANIS.